

legis, ut nullum aliud præceptum Dei per illud violetur. Imo addi potest ex divo Thoma, dicto art. 6, ad 3, aliam etiam conditionem fuisse necessariam ex parte personæ operantis, scilicet, ut operans non esset inimicus Dei. Sic enim ait D. Thomas aliquos servantes legem illam, non fuisse consecutos etiam præmia temporalia illis promissa, quia *cor totum habebant in temporalibus defixum, et a Deo elongatum*. Nam in tali statu nemo potest mereri apud Deum de justitia etiam temporalia promissa, cum illis etiam bonis sit indignus. Unde licet fortasse gratia non esset per se necessaria ad tale meritum, tanquam principium per se ejus, potuit esse necessaria conditio ad removendum impedimentum. Et ideo, hoc non obstat quominus tale præmium absolute dici possit effectus illius legis, quod de præmio æternæ vitæ simpliciter dici non potest, ut capite sequenti constabit.

23. Denique indicat D. Thomas, in dicta solutione ad 3, non obstante dicta promissione, non fuisse infallibile illud præmium respectu singularum personarum, quia fieri poterat *ut aliqua personæ particulares, etiam justitiam legis servantes, illa bona temporalia non obtinerent, quia jam erant spirituales effecti, ut per hoc magis ab affectu temporalium abstraherentur, et eorum virtus probata redderetur*. Unde sentit D. Thomas promissionem temporalium etiam tunc inclusisse conditionem, dummodo spiritualibus non nocerent, et sub illa fuisse infallibilem, ita ut ratione illius talia bona obtinerentur, etiamsi ad spirituales salutem non essent necessaria, simpliciter loquendo. Et ita intelliguntur specialiter tunc promissa bona temporalia, ut talia sunt, id est, sine positivo respectu ad spiritualia, quamvis noluerit Deus se obligare ad illa tribuenda, etiam cum spirituali nocimento.

24. *Multiplicatio peccatorum non fuit effectus illius legis*—Ultimo dicendum est, quamvis occasione illius legis peccata multiplicata fuerint, nihilominus dici non posse, simpliciter loquendo, multiplicationem peccatorum fuisse effectum illius legis. Hanc assertionem propono ad explicandas aliquas locutiones Scripturæ, præsertim D. Pauli, et convenientem modum loquendi in hac materia. Prior igitur pars expresse traditur ad Roman. 7, ubi prius dicit: *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Deinde objicit: *Quid ergo dicemus, lex pecca-*

tum est? absit; et infra: Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit; igitur occasione legis, non data ab ipsa, sed ab homine accepta, multiplicata sunt peccata. Ratio vero est, quia lex ostendebat peccatum, et illud prohibebat, et consequenter quodammodo augebat appetitum rei prohibitæ, quia *cum aliquid concupiscitur, et postea prohibetur, concupiscentiæ flamma magis attollitur*, ut ait Chrysostomus, homilia 12 in Epistol. ad Romanos, et consentit Hieronymus, quæst. 8 ad Algas. Aliunde vero lex illa vires non præbebat ad peccatum vincendum, ut capite sequenti dicam. Altera vero pars probatur ex eodem Paulo, quia lex est bona, et opus Dei; ergo non potest esse causa peccati. Probatur consequentia, quia alias Deus ipse esset causa peccati, et ideo Paulus eodem loco cautissime loquitur, dicens: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit, sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem; ubi peccatum vocat fomitem peccati, et illi tribuit causalitatem aliorum peccatorum, licet per occasionem legis*.

25. *Objectio*.—Sed contra posteriorem partem objici potest illud Pauli 2 ad Corinth., 3: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, ubi Augustinus nomine *litteræ* legem intelligit, quæ sic vocatur, vel quia in lapidibus scripta fuit, vel quia per antonomasiam lex scripta appellatur; et consonat quod statim Paulus subdit: *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, etc.*, ubi clare legem describit. Verbum autem *occidit*, de occisione spirituali intelligitur, opponitur enim verbo *vivificandi*, spiritui attributo, quod plane intelligitur de spirituali vita; ergo, juxta Paulum, lex spiritualiter occidit; ergo peccatum, quod est mors animæ, est effectus illius legis. Atque ita illum locum exponit Augustinus, de Spirit. et litter., cap. 4 et sequentibus, præsertim usque ad 14 et 15, contra Faustum, cap. 8, et lib. 2 contra adversar. legis et Proph., cap. 7; et idem fere tradit ibi Chrysostomus, homil. 6, sequunturque divus Thomas, Anselm. et alii. Et simili modo, ad Romanos 7, dicitur illa lex mortis, utique ab effectu, quia occidendo, mortem animæ infert, mors autem animæ est peccatum.

26. *Responsio*.—Ad prius testimonium, aliqui nomine *litteræ* non legem tantum, sed totam litteram veteris Testamenti intelligunt, quam dicunt occidere, si juxta corticem litteræ intelligatur, vivificare autem, si in spiri-

tuali sensu accipiatur. Ita Origenes, lib. 6 contra Celsum circa finem, et lib. 7, prope medium. Quam sententiam non reprobatur Augustinus dicto lib. de Spirit. et litter., cap. 4, sed potius admittit, dummodo alia non rejiciatur; et ita illa utitur lib. 3 de Doctr. Christian., cap. 5. Et sententia quidem sano modo intellecta in se vera est, non est autem existimandum intelligentiam Scripturæ secundum proprium sensum verborum malam esse, vel nocivam, hoc enim hæreticum esset, ut per se constat, sed sensus est nocivum esse, vel, cum Scriptura figurate loquitur, adhærere cortici verborum, vel spiritualem sensum Scripturæ in universum abjicere; sic enim dixit Christus Joann. 6: *Spiritus est qui vivificat, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Sed licet hæc sententia sic intellecta in se vera sit, sine dubio non est intenta a Paulo in illo loco; nam evidenter per litteram legem intelligit, ut ex contextu constat. Dicunt tamen Chrysostomus et Græci legi tribui quod occideret corporaliter, quia pœnam mortis frequenter imponebat. Quod per se spectatum sustineri posset, tamen non videtur intentum a Paulo, ut ratio facta probat, et quia infra vocat Paulus eandem legem, ministrationem damnationis. Et ideo Augustinus, supra, exponit, legem occidere, etiam spiritualiter, non quidem per se et ut causa mortis spiritualis, sed solum ut occasio, sicut in assertionem explicatum est. Quia vero illa non est occasio data, sed accepta, ideo simpliciter illa locutio propria non est, sed metaphorica, ad eum modum quo dicitur Deus in Scriptura præcipere quando solum permittit, ad indicandam certitudinem eventus; ita enim in præsentem, ut significaret Paulus, posita lege sine spiritu gratiæ infallibiliter sequi lapsus hominis, ideo dixit litteram occidere.

27. *Ad alium locum responsio*.—*Alia expositio*.—Unde facile patet responsio ad alium locum in quo illa dicitur lex mortis; potest enim hoc intelligi de morte corporali juxta expositionem Chrysostomi, quam etiam indicat Gregor. II Moral. cap. 10, alias 21, ubi per umbram mortis legem intelligit, quia mortem frequenter in pœnam imponebat. Et in hoc sensu non procedit objectio, sed locus ille probat tertiam assertionem, quia licet lex per se et absolute non intenderet mortem, etiam corporalem, et sub hac ratione dici potest non esse causam illius, quomodo etiam de Deo dicitur quod *mortem non fecit*: nihilominus in transgressores legis mortem per se

intendit, et facit, supposita transgressione, quia sic bona est, quomodo dicitur Deus facere omne malum pœnæ. Dices ergo etiam dici poterit lex illa lex vitæ, quia sicut comminabatur mortem transgressoribus, ita promittebat vitam servantibus. Respondetur denominationem illam non ex sola promissione vel comminatione, sed ex effectu desumi: mors autem proprie infertur ratione legis transgredientibus ipsam: vita autem corporalis non datur proprie, sed solum non auferitur, et ideo non est eadem ratio denominationis. Alio modo intelligi potest ille locus de morte spirituali, juxta expositionem Augustini supra datam; et satis consentaneum discursui Pauli; nam veluti explicans illam denominationem subjungit: *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem: nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit*. Loquitur ergo de morte spirituali, et explicat illam vocari legem mortis, non quia sit causa ejus, sed quia occasione ejus secuta est, et tacite explicat verbum occidendi, quod in alio loco posuit, et ita eundem habent sensum, et unus per alium debet explicari.

CAPUT VII.

UTRUM LEX VETUS JUSTIFICARET.

1. *Præcipuus effectus legis*.—*Duplex justitia carnis et spiritus*.—*Justitia carnis quæ*.—*Justitia animæ duplex*.—Quoniam præcipuus effectus legis est subditos facere bonos, et in illa lege habet hic effectus specialem difficultatem, operæ pretium visum est de illo specialiter tractare. Potest autem duplex justitia distingui ex Paulo ad Hebræos, cap. 9, ubi unam vocat justitiam carnis, indicans esse aliam justitiam spiritus, quas aliis locis vocat justitiam legis et fidei seu spiritus. Justitia carnis dicitur opus quo fiebat munditia quædam ab illis irregularitatibus, quas lex illa inducebat, ut supra diximus, et exponit D. Thomas, quæstion. 103, art. 1, ubi in hoc sensu dicit cæremonias legis vocari justitias carnis, quia sanctificabant ad emundationem carnis. De hac igitur justitia manifestum est potuisse legem illam justificare, quia ex vi suæ institutionis tollebat per certas cæremonias illas immunditias legales, sicut etiam illas inducebat. De hac vero justificatione non tractamus, quia nec difficultatem habet, nec poterat juxta conscientiam perfec-

tum facere servientem, ut ibidem Paulus ait. Justitia autem animæ subdistingui potest : nam una est supernaturalis, quæ est propria justitia fidei et spiritus, et hominem sanctum ac justum simpliciter facit, et ideo illius effectio theologico more justificatio simpliciter et absolute dicitur ; alia est naturalis, seu acquisita, quæ consistit in rectitudine moralium operum, quæ a Philosopho morali universalis justitia vocabitur. Hic de priori justificatione tractamus ; tum quia illa sola facit habentem simpliciter bonum ; tum etiam quia alia justitia per se pertinet ad legem naturæ : lex autem vetus supernaturalis erat ; tum denique quia etiam posterior justitia sine priori comparari non potest, ut in materia de Gratia ostendemus. Et eo modo quo ad illam erat necessaria, gratia non magis poterat per legem veterem dari quam ad alia opera, ut dicemus.

2. *Lex vetus non habuit ex se virtutem justificandi.* — De illa ergo justitia assertio certissima est, legem veterem non habuisse ex se virtutem justificandi. Ita docet D. Thom., quæst. 100, art. 12, de Præceptis moralibus, et quæst. 103, art. 2, de Cæremonialibus. De judicialibus autem hoc non disputat, sed tanquam manifestum supponit. Docuit autem hanc sententiam Paulus in Epistola ad Romanos, præsertim a cap. 3, ubi inquit : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*, quod capit. 4 et sequentibus prosequitur. Idem in Epistola ad Galatas, ubi, cap. 3 : *Quoniam* (inquit) *in lege nemo justificatur apud Deum.* Idem in Epistola ad Hebræos, ubi propterea, cap. 7, legem vocat infirmam et inutilem, quia nihil ad perfectum adduxit, quod explicans cap. 9, dicit cæremonias legis non potuisse secundum conscientiam perfectum facere servientem. Explicat autem divus Thomas hunc sermonem Pauli esse verum, non tantum quoad opera cæremonialia, sed etiam quoad moralia, ex sententia Augustini, libro de Spiritu et litter., cap. 14 et sequentibus, ac merito ; tum quia Apostolus simpliciter loquitur de tota lege ; tum etiam quia, specialiter loquens de præcepto *Non concupisces*, ad Romanos, cap. 7, dicit non solum non justificasse, sed etiam per occasionem spiritualem mortem attulisse, ut explicuimus ; tum denique quia ratio Pauli ad Galatas, capit. secundo : *Si per legem justitia, ergo gratis CHRISTUS mortuus est*, æque procedit in tota lege et omnibus præceptis ejus.

3. *Difficultas.*—*Responsio.*—Difficultas autem est in explicando cur dicatur illa lex non justificare ; et quomodo intelligendum id sit, et quæ ratio ejus sit reddenda. Ad quam breviter dici potest legem illam non justificasse, quia opera ejus non erant talia ut possent hominem sanctum efficere ; nam lex non potest sanctificare, nisi per opera quæ præcipit. Assumptum declaratur, quia opera legis alicujus dupliciter possunt justificare, scilicet, ex opere operato, vel ex opere operantis : opera autem illius legis neutro ex his modis justificabant ; ergo lex illa nullo modo justificabat. Minor quoad priorem partem videtur expressa divi Pauli ad Galatas, cap. 4, ubi cæremonias legis vocat *egena et infirma elementa*, quia non poterant a peccato mundare ; et ad Hebræos 9, hac ratione dicit fieri non posse, sanguine hircorum aut vitulorum auferri peccata. Ex quibus locis et similibus id communiter docent theologi in 4, dist. 1, ac definit Concilium Florent. in decreto Eugenii, et favet Concilium Trident., sess. 7. Altera vero pars minoris videtur sufficienter probata testimoniis supra adductis, et ratione ex illis desumpta ; quia nulla opera justificant ex opere operantis, nisi quæ sunt opera fidei, teste Paulo in eisdem locis ; sed opera legis distinguuntur ab operibus fidei, ut idem Paulus passim repetit in eisdem locis : ergo. Unde ad Galatas 3, ex illo loco, *Justus ex fide vivit*, concludit Apostolus legem non justificare, sicut scriptum est, *quia lex non est ex fide.*

4. *Objection.* — *Nullum sacramentum veteris legis habuit virtutem justificandi, nec in eo dabatur gratia contra meritum operantis.* — Contra singulas vero ex his partibus singulæ objectiones occurrunt. Contra primam est frequens objectio de circumcissione, quia per illam, aut saltem in illa, dabatur gratia infantibus in lege Moysi, et non ex opere operantis, ergo ex opere operato, quia non datur medium ; ergo aliquod opus illius legis justificabat. Occasione hujus objectionis disputant hic aliqui moderni, an sacramenta veteris legis, vel aliquod illorum, saltem circumcissio, habuerit virtutem justificandi apud Deum a peccato, saltem originali. Sed quia disputationem hanc alienam ab hoc loco existimo, et quia in principio tertii tomii tertie partis, qua potui diligentia illam tractavi, ideo ad illam lectorem remitto ; doctrinam enim quam ibi tradidi, nunc etiam omnino veram esse censeo, quæ in summa est : Primo, nullum sacramentum proprium veteris

legis, hoc est, in ea institutum, quodque cum ea incepit, habuisse virtutem justificandi, neque in eo datam esse gratiam, extra meritum operantis. Hanc enim assertionem tanquam certam, secundum catholicam doctrinam, tenendam esse censeo, propter fundamenta fidei supra allata, et propter communem consensum Patrum et scholasticorum quos ibi retuli, et refert Cardinalis Bellarminus, libr. 2 de Sacrament. in genere, cap. 15. Sub hac autem assertionem comprehenduntur omnia sacramenta illius legis, præter circumcissionem.

5. *Quomodo circumcissio instituta fuit in remedium peccati originalis.*—*Quodnam privilegium habuit circumcissio præ cæteris.*—Secundo, censeo omnino verum circumcissionem fuisse aliquo modo institutam in remedium originalis peccati, ut Innoc. III docuit in cap. *Majores*, de Baptismo, ex sententia Augustini, lib. de Peccato originali, cap. 30, et aliis locis ibi citatis. Unde fit ut, applicata circumcissione parvulo debita intentione et modo, illi daretur gratia sine qua nulli remittitur originale peccatum secundum veram et certam doctrinam. Addidi vero in citato loco, et verissimum censeo in hoc non habuisse circumcissionem majus privilegium vel majorem vim quam, ante Abraham et post illum in cæteris hominibus extra Israeliticum populum, habuerit sacramentum seu remedium illud, quo parvuli justificabantur : hoc enim remedium in nullo tempore vel natione defuit in hominibus, quantum est ex parte Dei. Solum fuit differentia, quia ante circumcissionem, licet aliqua professio vel applicatio fidei per signum externum necessaria fuerit ad remedium originalis peccati, saltem in infantibus, ut probabilior opinio fert, non habebat tamen determinationem ex aliqua institutione divina : et hanc determinationem accepit quoad populum Israeliticum, per institutionem circumcissionis. In reliquis vero ad justificationem pertinentibus, nullum privilegium, nullave perfectio circumcissioni collata est ; tum quia oppositum in Scriptura non habet fundamentum ; tum etiam quia Paulus ad Romanos, cap. 3, per circumcissionem solum dicit credita fuisse Judæis eloquia Dei, sub illis eloquiis comprehendendo legem et finem ejus, ut idem Apostolus declarat ad Roman., 9 et 10 ; tum denique quia, in ordine ad justificationem, etiam circumcissio comprehenditur sub infirmis et egenis elementis, quia licet non fuerit in lege instituta, a principio fuit ejus inchoatio et præparatio ad illam, et in

illa permansit tanquam professio illius, et unum ex potissimis sacramentis ejus.

6. *Nec circumcissionem, nec remedium legis naturæ dedisse gratiam ex opere operato.*—Ultimo, tam de ipsa circumcissione quam de remedio legis naturæ, dicendum est non dedisse gratiam ex opere operato, quamvis esset (cum proportionem loquendo) signum necessarium ut, illo posito, justificaretur parvulus. Ratio prioris partis et principaliter intentæ est, quod nullum opus legis, sive scriptæ sive naturalis, potuit justificare, quatenus erat opus talis legis, juxta doctrinam Pauli supra declaratam, et juxta doctrinam Conciliorum et Patrum ; sed circumcissio et æquivalens remedium erat opus legis scriptæ et naturalis : ergo non potuit habere ex se virtutem justificandi. Neque hæc pars repugnat posteriori, quia Deus non ex vi legis, sed ex merito Christi præviso voluit etiam pro eo tempore remedium parvulis adhibere, et consequenter illud etiam providit modo consentaneo meritis Christi, et hominibus accommodato. Et priori ratione instituit ut talis gratia non daretur nisi in fide Dei, et CHRISTI venturi : posteriori autem ratione instituit ut illa fides non esset tantum interior, sed ut aliquo signo exteriori ostenderetur, ut ita membra Ecclesiæ visibiles per visibilem aliquam fidei professionem aggregarentur, et hoc fiebat per circumcissionem in populo Dei ; extra illum vero, vel ante illum fiebat aliquo signo arbitrio hominum determinato. Et ita constat potuisse illud signum esse necessarium et sufficiens ut ad præsentiam illius Deus justificaret parvulum sine ulla actione vel virtute talis operis, ac subinde sine opere operato, sed ex gratia Dei per fidem Christi, et in ejus virtute. Quia nihil amplius necessarium est, neque habet fundamentum in Scriptura vel ratione, neque erat consentaneum illi statui, in quo merita CHRISTI nondum erant exhibita, ut D. Thomas supra recte declarat.

7. *Quomodo Baptismus superet antiqua remedia.*—Quomodo autem in hoc Baptismus superet antiqua remedia, in dicto loco tractatum est, ubi etiam objectiones aliæ sunt solutæ, neque invenio novam alicujus momenti cui satisfacere necessarium sit : nam quod quidam inferunt, sequi, circumcissionem justificasse ex opere operato, non intelligo quam vim habeat, quia neque illius consequentis sensum satis percipio. Quod enim est illud opus operandum ? aut enim est ipsum opus